Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1485
Quelle:
Copyright:

prelo dari curavi hic Romae anno 1696. Demum, concluditur, *publicae luci commisi anno 1697. quosdam alios Libros exiguos, quorum non auctor, sed exscriptor fui, veluti* Meditationum S. Anselmi, *itemque* Orationum *ejusdem cum quibusdam observationibus meis: ac praeterea* Libellos quatuor de Imitatione Christi, sive de Contemptu Mundi, *quibus praemisi Apologiam pro Joanne Gersen Abbate, ueluti germano illorum Auctore, contra Recentiores quosdam,* Anti — Arianismum, *sex Tractatus contra recentes Arianos et Socinianos, Lugduni sub prelo*, Anno Santo, Meditaciones para todos los dias del Año sacadas de los Evangelios corrientes, *Romae sub prelo.* Postremum clausula: *Omnia sub correctione S. R. E. et si forte aliquid excidit contra aliquem, atque erratum qualitercumque fuit (quod ignoro) penitus indictum esto, et melius sentientium judicio submitto. Josephus S. R. E. Card. de Aguirre;* quae pariter in Editis non habetur. Nihil de hac Popularis sui *Lacinia* Editores novi *Bibliothecae Hisp. Matriti* 1783. qui tamen in *Monito* praevio ei jam pridem augendae et corrigendae operam dedisse crepantur. Si Catalogum *Bibliothecae Card. Jos. Ren. Imperialis Romae* 1711. f. excusum inspexissent, deprehendissent eam p. 7. typis editam *Romae sine loco et anno in fol.* Deprehendit vero solertissimus *Adelungius*, ut habes *lit. A. Supplem. Jöcher.* Ut quid igitur, si typis edita est, hic paginam implet? Quia nunquam in Bibliopolio publice veniisse, sed ab *Aguirrii* heredibus distributam solummodo inter amicos, atque ideo rarissimam autumo; neque tamen dicere habeo, utrum Exemplar nostrum e chartis Defuncti, aut e typis descriptum fuerit.

DCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. X- R. 24*
VIII. Folior. 237. f. continet sequentia Scripta infelicis *Mich. Serveti*, seu, ut se ipsum ἀναγραμματικῶς compellavit, *de Reves Aragonis Villanovani* post varios casus a. 1553. *Genevae*, agente cum primis *Joh. Calvino*, flammis traditi e typo expressis Exemplaribus misera industria desumta. I. quidem Libros VIII. *de Trinitatis Erroribus*, quorum Editio annum praefert 1531. et, ut communior est opinio, *Hagenoae* lucem vidit in 8. II. Libros II. *Dialogorum de Trinitate.* III. *De Justitia Regni Christi ad Justitiam Legis collata, et de Charitate* Capita IV. Et haec quoque praefixo anno 1532. *Hagenoae* in 8. simul impressa censentur. Ceterum notiora sunt omnia obscurissimi hujus Doctoris Eruditis, quam ut pluribus hic agere opus sit post *Sandium, Niceronum, Vogtium, Reimmannum*, et praecipue *Mosbemium.*

DCXL.

Codex chartaceus lat. Sec. X- R. 837
VIII. Folior. 248. f. est Corpus